



LATÍN
NIVEL SUPERIOR
PRUEBA 1

Jueves 20 de mayo de 2010 (tarde)

Número de convocatoria del alumno

1 hora 30 minutos

0	0							
---	---	--	--	--	--	--	--	--

INSTRUCCIONES PARA LOS ALUMNOS

- Escriba su número de convocatoria en las casillas de arriba.
- No abra este examen hasta que se lo autoricen.
- Responda a la pregunta 1 ó a la pregunta 2 en los espacios provistos.
- Se permite el uso de diccionarios en esta prueba.



Responda a la pregunta 1 ó a la pregunta 2.

Traduzca al español la sección del pasaje indicada entre asteriscos. En la página opuesta se encuentra la traducción del resto del pasaje.

1. Discurso de Cicerón a César en nombre del rey Deiotaro que imprudentemente se había aliado con Pompeyo en la guerra civil.

deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu solebam pro perpetuis eius in nostram rem publicam meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere.

- * accedit ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber: crudelem Castorem, ne dicam sceleratum et impium, qui nepos avum in capitis discrimen adduxerit adulescentiaeque
 5 suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri et tegere debebat, commendationemque ineuntis aetatis ab impietate et scelere duxerit, avi servum corruptum praemiis ad accusandum dominum impulerit, a legatorum pedibus abduxerit. fugitivi autem dominum accusantis et dominum absentem et dominum amicissimum nostrae rei publicae cum os videbam, cum verba
 10 audiebam, non tam adflictam regiam condicionem dolebam quam de fortunis communibus extimescebam. nam cum more maiorum de servo in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat, in qua quaestione dolor elicere veram vocem possit etiam ab invito, exortus est servus qui, quem in eculeo* appellare non posset, eum accuset solutus. *

perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum, quod tamen cum te penitus recognovi, timere desino: re enim iniquum est, sed tua sapientia fit aequissimum..

Cicerón *pro rege Deiotaro* 2–4

* in eculeo: en el potro de tortura



2. **Pandión, rey de Atenas, concierta un matrimonio con malos presagios entre Procne, su hija, y Tereo, rey de Tracia.**

Threicius Tereus haec auxiliaribus armis
 425 fuderat et clarum vincendo nomen habebat;
 * quem sibi Pandion opibusque virisque potentem
 et genus a magno ducentem forte Gradivo
 conubio Procnes* iunxit; non pronuba Iuno,
 non Hymenaeus adest, non illi Gratia lecto:
 430 Eumenides tenuere faces de funere raptas,
 Eumenides stravere torum, tectoque profanus
 incubuit bubo thalamicque in culmine sedit.
 hac ave coniuncti Procne Tereusque, parentes
 hac ave sunt facti; gratata est scilicet illis
 435 Thracia, disque ipsi grates egere; diemque,
 quaque data est claro Pandione nata tyranno
 quaque erat ortus Itys, festum iussere vocari:
 usque adeo latet utilitas. iam tempora Titan
 quinque per autumnos repetiti duxerat anni,
 440 cum blandita viro Procne ‘si gratia’ dixit
 ‘ulla mea est, vel me visendae mitte sorori,
 vel soror huc veniat: redituram tempore parvo
 promittes socero; magni mihi muneris instar
 germanam vidisse dabis.’ *
 iubet ille carinas
 445 in freta deduci veloque et remige portus
 Cecropios intrat Piraeaque litora tangit.

Ovidio *Las Metamorfosis* 6.424–446

* Procnes: genitivo griego



